poteſt. ¶ Quamuis autem Pontifex, in hac ſola diſpenſandi facultate, addat, gratis faciendã eſſe : animaduertendũ eſt tamen idẽ eſſe in omnibus diligentiſsime obſeruandũ.

6 ¶ Quinta decima concluſio. Ex eodem Compendio. §. 7. Conceſſum eſt presbyteris Societatis, per Generalem Prępoſitum in India Orientali deputandis, vt diſpenſare poſſint in foro conſcientię cum ijs omnibus, qui in facie Eccleſię illegitimum matrimonium ſiue ſcienter, ſiue ignoranter, contraxerunt, ſuper quouis occulto impedimento, propter quod, tale matrimonium in conſcientia fuerit inualidum, impoſita eis pro modo culpæ ſalutari pœnitentia: dummodo ipſi contrahẽtes ſine ſcandalo ſeparari nequeant, & ſecreto de nouo contrahant, ſeruata forma Concilij Tridentini, ſi id ſine ſcandalo fieri poſſit ; alioqui [ſuper quo eorum conſcientiæ onerantur] etiam non ſeruata. Admonẽtur tamen noſtri à Pontifice [onerata ipſorum conſcientia] ne vtant̃ hac facultate, niſi vbi expedire exiſtimauerint : & vt diſpẽſandos conteſtentur, vt ab huiusmodi matrimonijs Canonica lege prohibitis abſtineant Gregori. 13. ad decennium. 4. die Nouembris an-